



# The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE/*INSTANS ILLA\**

IN THAILANDIA NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR,  
NOMINE THAILANDENSIS.

Ad perpetuam rei memoriam. — Instans illa qua urgemur sollicitudo, ut cunctis pro munere consulamus hominibus, Nos impellit ut, opportuna oblata occasione, arctiores cum civilibus nationum auctoritatibus consuetudines foveamus, quae non solum sanctae Christi Ecclesiae, verum etiam nationibus ipsis magnas afferant utilitates. Cuiusmodi consuetudines cum in Thailandensi etiam natione instituendae viderentur, Apostolica scilicet Nuntiatura constituta, libenti Nos animo ad illud conficiendum negotium contendere statuimus, id plurimum confisi ut, quae incepta in religiosarum temporaliumque rerum provincia inita ibi locorum adhuc fuerint, vel maiora etiam, Deo iuvante, initum iri. Quae cum ita sint Nos, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione, harum Litterarum vi, Delegatio illa Apostolica quae in regionibus Thailandensi, Laosiensi, Malacensi et Singaporeni antea exstabat, ita in posterum mutabitur ut Nuntiatura Apostolica, nomine Thailandensis, habeatur, atque separatim Delegatio Apostolica in regionibus Laosiensi, Malacensi et Singaporeni, quarum sedes in urbe vulgo Bangkok esse pergit. Novae conditae Nuntiature omnia deferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae huiusmodi legationum propria sunt, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces exstare et permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtainere, ipsique nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die quinto et vicesimo mensis aprilis, anno millesimo nonagesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA, *S. R. E. Cancellarius*

Franciscus Tinello  
*Apostolicam Cancellariam Regens*

---

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 10, pp. 610-611

© Copyright 1969- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana